





*Q. D. B. V.* 1733 105 42  
**PATREM  
EX FACTO FILII  
OBLIGATVM**  
*PRAE S I D E*  
**IO. GODOFREDO KRAVSIO**

I. V. D.

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI PROFESSORE PUBLICO  
CURIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACULTATIS  
IVRIDICAE VITEBERGENSIS, IUDICII ITEM PRO-  
VINCIALIS INFERIORIS LVSATIAE  
ASSESSORE

PRO CAPESENDIS SVMMIS IN VTROQVE  
IVRE HONORIBVS

*AD DIEM XX. OCTOBR. 1733 CC XXXIII.*

**IN AVDITORIO MAIORI**

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS

EXPONET

A V C T O R

**GEORG. FRIDERICVS SCHROEERVS**  
IN CANC. EL. SAX. ADVOCATVS IMMATR.

---

VITEMBERGAE  
LITERIS SCHEFFLERIANIS  
RECUSA 1748.





Q. D. B. V.

I.



bligationis si fontes peruestigamus, quae ex facto filii in patrem redundat, omnem uidemus nexus ex CONSENSV Patris uel PRAESVMTO uel TACITO uel EXPRESSO dimanare. Nec mirum hoc videri potest, cum neque iuri naturae conueniat, ut filius facto suo patri officiat, neque iuri positivo, et imprimis civili Romano, ex quo filius in patris potestate, eiusque domestico imperio subiectus est. Quid quod ex illis etiam personis, quae sui iuri sunt, leges neminem factio alieno obligent, sed opus sit, ut, si alii per alium obligatio uel actiua uel passiua acquiri debet, istius factum, et consensus uel expressus uel tacitus uel etiam praesumtus concurrat, §. 4. et 18. I. de inut. sfp. l. 38. ff. de V.O. Vere enim omnes obligationes mediae aut ex facto nascuntur, aut ex culpa, aut ex delicto. TABOR Vol. II. p. 3. Id ipsum in caussa est, cur obligationes actiuae non acquiruntur nobis, nisi uel ab eo, qui ex MANDATO nostram referit personam, uel qui UTILITER negotia pro nobis gerit, uel qui res nostras ADMINISTRAT, uel ab illis qui fictione iuris VNA NOBISCVM PERSONA esse putantur. Quoad reliquias personas fere omnis inutilis est stipulatio; ita, ut nec hodie tertius nostro nomine denationem

Auctio bonorum in Cossatum sine

sine mandato uel ratibabitione nostra valide acceptare queat.  
**CARPZ.** *P. II. c. 12. d. 20. STRYCK.* in *Caut. S. 3. c. 9. §. 2.* nisi  
cum BRVNNEMANNO ad l. 25 ff. de *Pactis* statuere uelimus:  
EX PACTO ALTERIUS ALTERI QVIDEM NON  
QVAERI IUS AGENDI VEL EXCIPENDI EX PACTO  
COMPETERE TAMEN EXCEPTIONEM DOLI,  
ET SIC UTILITER ALIVM ALII STIPVLARI,  
quam quidem sententiam uix assequor, propterea quod repli-  
ca REI INTER TERTIOS GESTAE exceptionem doli fa-  
cile elidere uidetur, ita, ut in hac materia sola limitatio locum  
inueniat: SI PACISCENTIS INTERSIT, cuius vim expe-  
rimur in *pactis SVCCESORIIS*, quae Germaniae consuetu-  
dine ex hac ratione sustinentur, quia nostrum refert, liberis et  
heredibus nostris prospici. Cum autem in obligatione actiu-  
ita sanctum sit, ut ne alteri per alterum sine discriminе acqui-  
ratur, longe maior iuris est prouidentia in obligatione passiu-  
ita, ut ne quidem ab actiuа ad passiuam argumentari possimus,  
ne, quae in fauorem introducta sunt hominum, ad illorum  
damna detorqueamus. Huc itaque tanquam ad aliquam ana-  
logiam respicio, ubi de PATRE EX FILII FACTO OBLI-  
GATO cogito, quod quidem uti ex ordine fiat, primum  
obligationem quae ex PRAESVMTO PATRIS CONSEN-  
SV uenit expendam, cum hac ratione PATRIS FILII QVE  
PERSONAM, et SVBIECTVM DE QVO praedicamus,  
facilius definire queam.

II.

**N**otum est, obligando acquiri, et alienari. Res, quae cer-  
tis limitibus est circumscripta. Patrem et filium quod  
attinet, scimus patrem habere filium in sua potestate, patri  
per filium acquiri, inter patrem et filium non consistere con-  
tractum nec obligationem. Fons huius rei quaerendum est in  
iuro Quiritum, ui cuius patria potestas in filios acerbior fere  
erat, quam heri dominium in seruos, teste DIONYSIO Ha-  
LICARN. l. 2. adeo, ut non saltem ius uitae et necis pater in li-  
beros haberet, id quod dominorum et patrum commune, sed  
ut

ut filius uenditus a patre, et postea manumissus ab emitore, ne  
sic quidem sui iuris efficieretur, quod tamen seruis contingē-  
bat, nisi ter uenditus, ter etiam a dominis manumissus esset,  
unde NOXAE DEDITIO ET VINDICATIO EX IVRE  
QVIRITVM Patribus dabatur *s. f. I. de nox. Act.* Quod qui-  
dem in liberos dominium Quirites potestati suae ita attribue-  
runt, ut filius, licet hoc ipso Quiritum iure quoad statum ci-  
uitatis Romanae liber homo esset et ingenuus, nihilominus ta-  
men apud ipsos IN DOMINIO PARENTVM DOME-  
STICO esse uideretur, quanquam non in bonis, uti SCHIL-  
TERVS Exerc. III. s. 19. et Exerc. XVI. s. 15. commonstrat  
Quam autem hoc successu temporis sensim mutatum sit idem  
SCHILTERVS non solum loc. all. et Exerc. XXVII. §. 87. etc.  
doct, sed etiam in ea re simul incunabula peculiorum ostendit  
Quanquam etiam iure nouiori istud Patrum in liberos domi-  
nium, quod neutiquam EFFECTVM patriae potestatis, sed eius  
essentiale CONSTITUTIVVM fuisse puto, mansuetudine et  
amore Parentum ut et legum moderamine temperatum, atque  
Patria potestas in aliam quasi formam mutata sit, successit tamen  
istius dominii surrogatum quasi, uidelicet VNITAS PERSO-  
NALIS, quae inter Patrem et filium intercedit, et suas tot  
per secula uires ita seruauit, ut hodie etiam ipsius efficaciam  
plurimis in caussis sentiamus, quicquid contrariam in partem,  
praeter Iureconsultos BELGICOS, inter Germanos etiam per  
multi, in iisque THOMASIVS in primis statuat, qui in *Diff. de*  
*Patria potestate* s. 49. sqq. et alibi passim VNITATEM PER-  
SONALEM tanquam inuentum IUSTINIANI l. ult. C. de imp.  
et al. subft. explodit, et quod iure Veteri ignorata fuerit, adeo-  
que nec peculiares effectus habuerit, acerrime contendit. Si  
enim in aduersum nisi pace horum virorum fas est, non uide-  
tur argumentum hoc procedere. Vti enim unitas illa perso-  
nalit uel in ipso iure naturae fundamenta habet, si archissimum,  
quod inter parentes liberosque intercedit, vinculum respici-  
mus, ita etiam medio Iuris Romani aeuo eandem unitatem per-  
sonalem in effectibus deprehendimus, cui forte Iustinianus

nomen dedit. Erat enim medio iam aeuo dominium illud Parentum in liberos sublatum, l. i. §. 2. ff. de R. V. nihilominus tamen libri Patribus acquirebant, qui effectus teste **SEXTO EMPIRICO** l. 3. c. 24. iure Veteri Romanorum **DOMINII** Patris in liberos fuerat, atque unitas nisi personalis successisset, una cum causa sua expirare debuisset. Quid quod et illud iuris sit, quod Iustinianus sancivit, imo magis hodieque serueretur, quam primi et medii aeui placita, sicuti usu fori hodierni quotidie docemur.

## III.

**P**otestatem itaque patriam duas habere partes existimo, **VNITATEM PERSONALEM, ET IMPERIVM IN LIBEROS DOMESTICVM**, a Veteri tamen Quiritum imperio longe diuersum, cuius uim atque naturam exponit **PETRV S AERODIVS, integro, quem de Iure Patrio, aduersus Jesuitas, filium seducentes, conscripsit, libello.** Differentiam Patriae potestatis specificam in **VNITATE PERSONALI** quaero, haud ignarus, et **EFFE CTV** differre hanc ab omni alia potestate, sed magis tamen conuenire τῷ λόγῳ ratus, si differentiam in formaliter ostendo, ut ne ab identitate unius alteriusue effectus ad identitatem causae perperam argumenter. Secernitur itaque Patria potestas per unitatem personalem 1) **REVERENTIA ILLA, QVAE MATRI DEBETVR**, siquidem liberi legitimi non matrem sed patrem sequuntur. l. 19. ff. de stat. bom. l. 3. ff. de bis sui uel alieni iuris sunt. Vbi non assequor, quomodo **CARPZOVIVS P. I. Conf. 27. d. 96. ex lege unica C. de bis qui ante apert. tab. afférere queat**, quod liberi Matris sint sui heredes, atque idcirco una persona cum Matre, cum tamen lex ista tantum de transmissione ad descendentes loquatur, haec autem non suis saltim heredibus, sed **EMANCIPATIS** etiam, competit, sui autem hereditatem paternam in **QVOS-CVNQUE HERÈDES** transmittant. l. 8. C. de suis et legit. hered. 2) a potestate **DOMINI IN SERVOS**, cum Dominus et Servus non sint una persona, et idcirco seruus non in **POTESTATE DOMINI PROPRIE TALI**, sed saltim γενικῶς accepta, et

et proprie in dominio heri esse dicatur. LAVTERB. ad ff. de  
flat. hom. §. 6. Potestas enim proprie talis saltem in personas ca-  
dit, personae autem notio in sensu ciuili dignitatis et fauoris  
significationem habet. Qua de causa seruus non nisi sensu  
phylico uocatur persona, id est, homo, non autem sensu iuris,  
et quatenus qualitatem cuius denotat, utpote quo respectu ser-  
uus ἀπόστωτος est, ac pro nullo et mortuo, HVBER. Prael. Iur.  
L.I. Tit. 3. n. 1. item pro re, quae in commercio et bonis do-  
mini est, habetur. l. 2. §. 2. ff. ad L. Aquil. 3) a POTESTA-  
TE MARITI IN VXOREM. Quamvis enim Vir et Vxor  
una caro de iure diuino uocantur, non tamen sensu iuris hu-  
mani sunt una persona, sed DVAE PERSONAE INDIVI-  
DVA VITAE CONSVETVDINE CONIVNCTAE. §. 1.  
I. de Patr. Poteſt. Vnde STRVVIUS in Exerc. III. tb. 7. statu-  
ens: VXOREM INTER PERSONAS ALIENI IVRIS RE-  
FERENDAM ESSE, ab aliis notatus est, vide quae de impe-  
rio Viri in uxorem τολπικῷ ex sententia ARISTOTELIS com-  
mentatur HVBERVS P. II. l. 6. p. 42. 4) a POTESTATE  
TVTORIS. Definitur quidem tutela, quod sit VIS AC PO-  
TESTAS §. 1. I. de Tutel. sed illa potestas nequam posita  
est in unitate personali, verum respicit tantum fauorem pupilli,  
qui liberum caput et homo sui iuris, suaeque potestatis, di-  
citur, l. 6. ff. de tut. l. 14 ff. b. 2. unde nec tutor ex bonis et pecunia  
pupilli sibi, sed pupillo acquirit l. 2. C. quando ex fact. tutor. Mit-  
to alia potestatum genera, quarum differentia a patria potesta-  
te per se patet, nec non illum ingenii foetum GALVANI de  
Vsfructu c. VIII. qui duplex DOMINIVM flagit, aliud PRO-  
PRIETATIS, aliud FAMILIAE, atque hoc ex iure familiae  
competens dominium secundum ius antiquum commune esse  
putat omnibus in familia personis, qui, quamvis plures, tamen  
sensu iuris pro una haberentur persona, qua de re uideatur  
SCHILT. Exerc. XLIV. §. 44.

## IV.

Quemadmodum autem Patrie potestatis praecipuam par-  
tem in VNITATE PERSONALI sitam esse afferui, ita

non abs re erit, eam ab altero Patriae potestatis constitutio  
essentiali, quod in subiectione liberorum consistit, recte et cau-  
te discernere, ut conceptus formalis eo accuratius efforma-  
ri queat. Facillime hoc effici puto, si a) ea momenta, quae  
non ex subiectione liberorum uenient et tamen in unitate  
personarum innituntur, b) illa, quae fines et terminos unita-  
tis personalis egrediuntur, et tamen sunt effectus patriae pot-  
estatis, ob oculos pono. Ad a) referro, quod filius patri sti-  
pulari possit. Obstat uidentur LL. plurimae, imprimis § 4.  
*I. de inutil. stip.* ubi illud ipsum patris in liberos imperio tribui  
intelligimus, quod tamen unitate personarum adscripti. Sed  
salua res est. Recte stipulatur et filius et seruus illi, cuius iri  
subiectus est uterque tamen diuersa ex causa. Seruus stipu-  
latur DOMINO, quia ipsius stipulatio est quasi accessorium ser-  
ui, seruus autem in dominio et bonis heri est. Filius etiam  
de iure Veteri Quiritum stipulabatur Patri, quia ipsius in do-  
minio erat, quod dominium in rem et personam filii sese ex-  
tendebat, sed illo DOMINIO sublatu, ostendit luttinianus aliam  
sub esse causam, quod scil. VOX FILII SIT VOX PATRIS,  
h. e. FILIVS ET PATER SINT VNA PERSONA. Ad-  
do alium eumque egregium unitatis personalis effectum, sci-  
licet DOMINIVM LIBERORVM IN BONIS PAREN-  
TVM VIVENTIVM, ui causas liberi in potestate patris ex-  
istentes SVI HEREDES et NECESSARI sunt, de qua re  
BERGERVS in *Dissert. Iuris XXXV.* §. 2. et quos ibi excitauit,  
Autores adeundi. Ad b) referro, quod unitas personalis ex-  
cludatur in causis publicis, cum tamen filius maneat in pote-  
state seu imperio patris, quae hoc sensu Synonyma *l. 9. ff.*  
de his qui sui uel al. iur. Ex quo efficitur, ut filius in causa Pa-  
tris iudex ex arbiter esse possit *l. 6. ff. de Recept. et qui arbitr.*  
*recep. l. 12. f. ff. de iudicis*, et quanquam filius nec per munera,  
nec per dignitates quaslibet publicas, emancipetur, in omnibus  
tamen publicis cassis pro patre familias habeatur. *Cap fin. de*  
*Iud. in 6to l. 9. ff. de his qui sui uel alien. iur.* Ita etiam pater  
quoad matrimonium filii non est una cum ipso persona, nihil  
omnius

omnium tamen per solum matrimonium filius a patria potestate non emancipatur, verum ipse cum nepotibus in ea manet. Ex quo facile intelligimus notionem Patriae potestatis uel lati sumi uel stricte.

V.

**V**ersatur ante VNITAS ILLA PERSONALIS tantum IN ACQVIREND0, iisque finibus circumscribitur. Vestigia rei habemus in §. 4. de inuril. stip. uerbis:

Et VERO, QVI IVRITVO SVBIECTVS EST, SI STIPVLATVSSIS, TIBI ACQVIRIS, QVIA VOX TVA TANQVAM FILII SICVT ET FILII VOX TANQVAM TVA INTELLIGITVR, IN IIS REBVS, QVAE TIBI ACQVIRI POSSVNT.

quare in rebus, quae patri acquiri non possunt, u. c. ubi factum filio stipulatur pater, ut filio ire, agere, liceat, inutilis est stipulatio l. 30. ff. de V. O. PASCHALIS de *Viribus Patriae Poteſt. P. IV. c. 1. n. 4.* Eadem ratio subest, quando ex uoto personali filium obligatum esse uolunt, ex reali uero non, ut ne scilicet per uotum reale filius de profectio uel aduentatio regulari aliquid alienet. Videatur ZIEGLERVS ad *Lancelotum* l. 1. tit. 30. §. 3. Sunt tamen et alii casus in quibus unitas personalis cessat. Scilicet quoties filius de RETINENDO IURE IAMIAM QVAESTO laborat, utpote quibus Pater in damnum filii renunciare non potest. Seruantur itaque a) iura NATIVITATE liberis quaesita, nec hi ius primogenitiae, uel dignitatem generis perdunt, licet Pater bannitus uel civitate ac liberrate multatus sit. l. 2. ff. de num. et bon. VIGILVS ad ff. L. XVI. p. 265. id quod usus hactenus accommodavit ad filios opificum, qui non amiserunt iura et privilegia ex nativitate ipsis competentia, (Handwerks: Vorrechte derer Meisters: Söhne quamvis pater delicto ista amisisset. b) nec CIVITATIS et LIBERTATIS iura filiis auffere potuit, pater, in primis mutata illa prisci Iuris Romani saevitia. Pater itaque in seruitutem redactus, liberos seruos non facit, et ne primis quidem temporibus illis, liberos uendere potuit nisi sanguinolentos,

qb

ob famen, qua in necessitate silere leges putatum est. uid. V. R. GELIVS ad ff. l. XVI. p. 268. c) HEREDITATIS quoque iura salua liberis relinquere patres oportet, unde in bonis Maternis praejudicium afferre nequit Pater, ut late explicant Dd. uid. Cz. P. II. C. 10. d. 5. &c. imo ne qidem nomine filii aduersus matris testamentum quaerelam in officiis intuituere potest, teste VLPIANO l. ff. de inoffic. testam. add. BARBOSA in Voce Pater n. 10. et 20. neque quoties filius fratri succedit, una cum patre quoad proprietatem persona est, sed hanc sibi solam haber. Nou. 118. Par esto de illis iudicium, quae filius ab Auel Proauo materno acquirit, uel ubi hereditatem a Patre repudiatam filius inuito etiam Patre adit, et idcirco ubi soli occupat. BRVNREM. ad l. fin. C. de Bonis quae lib. Addamus d) BONA quae uel aliorum beneficio ad filium uenient, ea lege, ut ne Pater usumfructum habeat, uel quae filius proprio labore in militia uel togata uel sagata acquirit, qui fons est diuerorum peculiorum.

## VI.

E explanatis Patriae potestatis et unitatis personalis finibus, quantum quidem praesentis instituti ratio poscere uideatur, et cognito, de quo praedicamus, subiecto, facilior patet via ad causas obligationis passiuae, quae ex filii facto in patrem redundat. Primam itaque CAVSSAM in PRAESVTO PATRIS CONSENSV pono, ut ne intitus pater, sed QVASI VOLENS, obligari existimetur. Praesumto consensu per factum filii obligatur Pater, uel DE PECVLIO, uel DE IN REM VERSO. DE PECVLIO actionem quod attinet, notum est, eam dari illis, qui cum filio familias contraxerunt, aduersus patrem, ad id, quod secundum contractus naturam debetur, praestandum, pro quantitate peculii l. 3. §. 5. ff. de peculio §. 10. I. de Action. Origines Peculiorum rescenset inter alios SCHILTERVS Exerc. XXVII. §. 31. ubi, docet, Qui rites, ad exploranda liberorum seruorumque ingenia, industriam atque fortunam, primum PECVDVLAS quasdam, mox PECVNIOLAS, tandem INTEGROS etiam fundos a sua substantia

stantia et rationibus oeconomicis separasse, et liberis seruisque administrandas commississe, retento et dominio pleno in re et potestate in personam, facultate tamen utendi, consumendi quoque in liberos seruosque translata, ut eatenus speciem aliquam patrimonii proprii peculium acceperit. Orta sunt successu temporis peculia reliqua, castrense, quasi castrense, et adventitia tam regulare quam irregulare, et ad peculium profectum non id tantum, quod Pater ab rationibus suis separauerat et liberis concederat, uerum etiam quicquid intuitu Patris ad liberos peruererat, relatum est. BRVNNEM. ad. l. 10. ff. de uulg. et pupill. subſt. Intuitu patris uero id ad liberos peruenisse existimaturn, cuius, ut daretur, cauſa mouens principalis proxima Pater fuit, quae si non subsuiffet, donatio u. c. facta non effet. Imo ea fuit legum erga liberos benignitas, ut donatio filio facta in dubio filii non patris contemplatione facta esse praefumeretur, licet Patris mentio adiecta LAVTERB. ad ff. de peculio §. 31. quod quidem ita intelligo, ac si pater demonstrationis cauſa adiectus esse putetur. Nec opus fuit, ut pater expresse semper peculium profectum constitueret, sed praesumtus etiam et ex facto elicitus consensus suffecit, qua propter pater nomine filii mutuo dans, ei peculium concessisse uifus est l. ult. ff. de peculio legat et ex sola patientia patris peculium oriri uestigia habemus in l. 5. §. 1. et l. 7. l. 49. ff. de peculio. Etsi uero Pater hoc in peculio dominium pariter atque possessionem habeat, et filio saltem administrationem, eamque uel laxiorem, uel strictiorem concederit, atque exinde peculium libere et reuocare et alienare queat, non tamen in fraudem creditorum illud alienare licet. SCHNEIDEVVIN ad §. 10. l. de Action. n. 34.

## VII.

Factum obligatorium est ex parte Patris CONCESSIO PE-CVLII, qua filio de peculio contrahendi potestatem dedit. Consensus hactenus uidetur expressus esse, sed hic tantum est remota obligationis patriae cauſa, proxima est consensus praesumtus in factum filii speciale, u. c. mutuum commodatum,

B

locatum

locatum. Haec consensus praesumtio in causa est, cur actio inde ueniens ADIECTITIAE QVALITATIS esse dicatur, inuenta scilicet a Praetore eum in finem, ut actio principalis, quae ex natura contractus cum filio celebrati, u. c. mutuo, oritor et directo aduersus patrem non datur, cum filius patrem directo ciuiliter obligare nequeat, *I. 8. ff. de Rescind. Vend. §. ult. ff. de Acceptil.* per hanc apia reddatur, quo in patrem etiam dari queat. Vide quae de fontibus Adiectitiarum Qualitatum BERGERVS in *Dissert. Iur. XII.* uberius explicat. Filius itaque per contractum uel uerum, uel quasi talem obligat patrem *§. 10. I. de Action. I. 14. ff. de neg. gest. et Dd. passim ad ff. de Peculio,* licet uel inuito, uel prohibente etiam patre contraxerit *I. 29. §. 1. l. 47. pr. ff. de Pecnl.* quia praesumtio iuris et de iure est, patrem obligari uoluuisse, dum semel peculium concessit, quod, si omnino obligari noluisset, admere debebat STRVV. *Decis. Sabbatb. c. 32. Decis. 3.* inde sola prohibitione, ne cum filio contrahatur, ab institoria saltē, quae in solidum est, liberi uoluuisse putatur.

## VIII.

**D**um autem ex quibus caussis Actio de peculio detur, inuestigamus, obuiam sit quaestio a) VTRVM ETIAM PATER DE CONTRACITIBVS FILII TENEATVR QVI EXTRA CAVSSAM PECVLII CELEBRATI SVNT. Ratio dubitandi est α) in lege 3. §. 5. et 6. et I. 8. ff. de pecul. ubi expresse sancitatum, quo dominus ex fidejussione serui, nisi in rem peculiarem facta sit, non obligetur. β) in natura consensus praesumti, ui cuius Pater solum in id, quod et quantum ad se pertinet, ideoque tantum in contractus ex administratione peculii filio concessi peraenientes, consensisse uidetur, quia obligatio haec ex re nasci dicitur *I. 46. de V. O.* Verum enim uero α) Patrem ex fidejussione filii indistinctae teneri, docemur ex §. 9. I. 3. ff. de pecul. arque ex eo discimus β) patris praesumtum: consensum non tantum pertinere ad contractus filii circa rem peculii, sed etiam ad alios, quos filius qui peculium habet, licet non semper QVATENVS habet, iniit. Rationem quaera-  
mus

mus in aequitate, quae omnis praesumtionis iuris et de iure  
 fons est, quia scil. Pater peculium filio concedens alios per-  
 mouet homines, ut cum filio contractus ineat, tuto ignari,  
 quidaam in peculio sit filii, uel utrum obiectum contractus sit  
 res peculiari, cum hoc saltim in hac materia spectetur, quod  
 pater concedendo filio administrationem peculii et eam non  
 adimendo occasionem aliis praebuerit, bona fide cum filio con-  
 trahendi l. 3. §. 10. et 11. ff. de pecul. Altera quaestio est, b)  
 VTRVM PATER EX DELICTO FILII OBLIGETVR PE-  
 CVLIOTENVS. Negat omnium SCHOEPFFIUS Decis. 192.  
 p. 1087. et patrem ex delictis filii neque de peculio neque de  
 noxa teneri contendit Decis. 200. p. 108. et LAVTERB. ad ff. b. t.  
 §. 37 innixi in lege 58. ff. de R. I. ubi sancitum est, EX POENA-  
 LIBVS CAVSSIS NON SOLERE IN PATREM DE PE-  
 CVLIO ACT. ONEM DARI. Nec ullam hi, et plures alii  
 Doctores, limitationem admittent, nisi IN QVANTVM EX  
 DELICTO FILII PECVLIVM AVCTVM SIT. add BARBO-  
 SA in uoce filius n. 15. qui sibi tamen non constare uidetur, uid.  
 in uoce Pater n. 19. Sed quanquam uerum sit, ex delicto re-  
 gulariter contra Patrem agi non posse, cum pater filio non ad  
 delinquendum, sed ad contrahendum peculium concesserit,  
 ideoque praesumtus patris consensus ad non cogitata extendi  
 non debeat, id quod supra citata lege 58. ff. de R. I. nec non l. 1.  
 §. 7. de bis qui deiecerint, cautum est, praeter illam tamen limi-  
 tationem, quod pater teneatur, a) si ex delicto filii PECVLIVM  
 AVCTVM est l. 3. §. 12. ff. de peculio l. 1. ff. 20 ff. de ui et ui ar-  
 mata, aliam addamus oportet, si scil. b) FILIVS IN MVNERE,  
 ET AVTORITATE, ET UTILITATE, PUBLICO CON-  
 STITVTVS QVASI DELICTVM COMMISERIT. u. c. si de-  
 curio factus tutores dedit, et pupillorum rem saluam fore,  
 caueri non curauit. l. 3. §. 13. ff. de pecul. cuius ratio in eo sita est,  
 QVOD REMPUBLICAM SALVAM FORE PATER OB-  
 STRICTVS SIT, atque ita pater filio peculium concedens  
 consensum suum in id etiam dedisse putetur, ut respublica,  
 quae filium ad munus publicum uocando, eum sibi obligat,

uidemus praestetur, ad analogiam iustius prae sumptionis, quam  
 supra de contractibus extra rem peculii celebratis enucleauim.  
 Quo loco meminisse debemus, quod, si filius munus ET AV-  
 TORITATE ET UTILITATE publicum gesserit, pater igno-  
 rans obligetur ui prae sumti consensus peculiotenus, sciens et  
 tacens autem, cum ibi sola scientia pro consensu expresso re-  
 putetur in solidum, si autem filius munus AVCTORITATE  
 quidem peculium, UTILITATE uero priuatum obierit, pater  
 sciens et tacens tantum peculiotenus obligetur, atque sic tac-  
 tus consensus pro expresso non accipiatur. BRVNNEM. ad. l. 1.  
 C. quod cum eo qui in alien. Restat tertia limitatio. c) QVOD  
 SCILICET EX VERO ETIAM FILII DELICTO PATER  
 OBLIGETVR, non IMMEDIATE quidem ex facto et delicto  
 filii, ut supra dictum est, sed MEDIANTE quodam CON-  
 TRACTV. SI SCILICET FILIVS IN IVDICIO CONDE-  
 MNATVS EST. Hanc itaque ad Actionem requiritur, ut ne a  
 iudice INQVISITORIVS aduersus filium, sed ACCVSATO-  
 RIVS PROCESSVS a patre laesa institutus, a filio lis rite con-  
 testata, per hanc IN IVDICIO CONTRACTVM et filius  
 tandem condemnatus sit. Cum enim per litis contestationem  
 contrahi in iure dicatur, HVBER. Prael. P. II. L. V. tit. 1. §.  
 24. l. 3. §. 11. ff. de pecul. BERGERVS in Dissert. de Dominio litis  
 §. 14. fas esse Romani putarunt, ut ubi filius ex iudicato ob-  
 ligatur, haec actio etiam peculiotenus aduersus patrem detur,  
 et pater ita teneatur, non tanquam ex delicto, sed ex quasi  
 contractu. COCCIVS Iur. Controv. L. XV. Tit. 2. qu. 17. Vo-  
 catur ergo haec actio IVDICATI DE PECVLIO, atque uesti-  
 tur noua quasi quadam qualitate, ut ad patrem penetret.  
 NOMEN uidelicet ab effectu, RE IVDICATA, VIM ner-  
 uumque a LITIS CONTESTATIONE habet. Obiectio ad  
 uersus haec a nobis disputata nasci uidetur ex eo, quod in pu-  
 blicis causis Patria potestas cesset. l. 9. ff. de his qui sui uel alien.  
 iur. adeoque filius in munere publico constitutus delinquendo  
 patrem nec peculiotenus obligare queat, cum peculium hoc  
 respectu non habeat, sed pro patre familias et sui iuris homine  
 repute-

reputetur. Sed reminiscamur oportet, quae in fauorem reipublicae introducta sunt, in eius odium detorqueri non debere, et idcirco patrem ui judicati omnino obligatum esse, cum non causa litis, sed saltim iudicatum, spectetur, atque hoc modo actio, quae alias aduersus patrem non datur, per contractum litis contestationis eam qualitatem acquirat, ut etiam aduersus patrem ualeat.

## IX.

Post cauissas effectum actionis de peculio uideamus oportet. Non in solidum sed tantum peculiotenus dari *s. 36. I. de AG. docemur.* Nec hoc tamen sine temperamento accipendum est. Cum enim in SOLIDVM regulariter eam significacionem habeat, ut OMNE QVOD DEBETVR COMPLECTATVR, in hac de peculio actione nonnunquam in solidum obligatus est pater, nonnunquam autem minus. Scilicet in praesenti materia per ultra vires peculii non tenetur, sed saltim in id, quod ex peculio facere potest. Ex quo consequitur, solidum acquirere creditorem, si tantum in peculio est, ultra peculii vires autem nihil. Filius uero semper in solidum tenetur, ita, ut, Patre excusso, ad id, quod restat, obligatus permaneat. STRYCK. *Vsu Modern.* Tit. de Peculio *s. 3. et tit. quod cum eo etc. s. 1.* Temperarunt hanc leges ex peculio executionem diuersa ratione. Nam quod 1) Patrem attinet a) spectatur quantitas peculii, non quae tempore sententiae dictae, sed quae rei iudicatae fuit. *I. 30. pr. ff. de pecul.* ideoque si post sententiam latam et antequam vires rei iudicatae acciperet, peculium uel auctum, uel minutum est, hoc creditoribus filii uel utilitati, uel damno cedit. b) Pater antequam ex peculio satisfacit filii creditoribus, detrahit id, quod sibi filius debet, tam ex contractu, quam ex delicto. BRVNNEM. *ad I. 9. ff. de Pecul.* in eoque Pater iure Praelationis vultur. Deducit autem Pater ex peculio non ipsam substantiam (das Capital) sed quod extra illam filio per modum contractus, u. c. mutui etc. dedit, et deinceps reliquum soluit creditoribus. *s. 4. I. quod cum eo etc* Id enim peculium esse existimatur, quod superest, detracto,

quod patri ex causa contractus debetur, *l. 9. §. 2. ff. de Pecul.*  
*l. 6. ff. de Tribut. Ag.* Qua ex iuris sanctione dicimus, patrem  
cum filio hoc<sup>z</sup> in peculio contrahere absque uitio nullitatis,  
quod si intercederet, pater pecuniam a filio consumitam cum  
praelationis fauore in odium reliquorum creditorum non de-  
trahere posset, sed istam perdidisse existimaretur. Sed illud  
tamen notandum est, quod Pater in Profectilio tantum ad effe-  
ctum repetitionis contrahat, non uero ut ipse obligetur. 2) quoad filium, scimus eum quidem in solidum teneri, sed ita, ut  
beneficio competentiae se tueatur.

## X.

**C**ausa et effectu Actionis de peculio explicatis, restat, ut,  
quem in foro Germanico usum habeat, perspiciamus.  
Negant hunc praeter Batauos Iureconsultos Germanorum et-  
iam permulti, iisque Summi Viri, e quibus THOMASIVM  
in Dissertationibus, quas de effectu Iuris, quem Patria potestas in  
Germania habet, nec non ubi ad tir. I. de his qui sui uel alieni Iuris  
commentatur, conscripsit, et TITIVM in Iure Privato nomi-  
nasse sufficiat, quorum sententia his fere argumentis nititur  
quod a) patria potestas in patrio iure, Saxonico et Aleman-  
nico incognita fuerit, atque Germani solum naturae duclum  
secuti sint, b) in causis vero decidendis primum ad patria iu-  
ra respiciendum sit c) quibus si Romanum ius aduersetur, il-  
lud haud receptum esse putandum sit, d) liberi idcirco a pa-  
rentibus aliquid accipientes racite et particulariter emancipen-  
tur ideoque nec peculum profectuum detur. Allii ob infre-  
quentiam actionem hanc a foro concessisse putant. Sed, quod  
pace horum dixerim, his argumentis eam uim inesse, quaे  
patriam potestatem e Germania exterminari queat, uix puta-  
rem. Quamuis enim a) facile concedam, apud Germanos  
eum patriae potestatis non fuisse rigorem, qui apud Roma-  
nos, nihilominus tamen uestigia alicuius Patriae potestatis ha-  
bemus in SPECVLO SAXONICO Art. 5. lib. 1. uerbis.

Nimt der Sohn ein Weib bey des Vaters Leben, die ihm eben-  
börig ist, und gewint Kinder mit ihr, und stirbt darnach  
ehe

*ebe sein Vater ihn abgetheilet von dem Erbe, seine hinterlassene Kinder nebmen Theil,*

*item L. b. i. Art. 52.*

*One der Erben laube und Ungericht, mag kein Mann sein eigen noch seine Leute vergeben, doch wechseln wohl die Herren ihre Dienstleute ohn Gericht. Vergiebt ers wieder Recht ohn der Erben Urlaub, die Erben unterwinden siches mit rechten Urteil, als ob er todt wäre, der es gab, oder also er es nicht geben het gemachet. Alle fabrende Habegiebt der Mann ohne laub der Erben, in allen Städten und lässt und leibet Gut, allein daß er sich also vermüge, daß er begurt mit einem Schwert und mit einem Schild auff ein Ross kommen mög, von einem Stein oder Stock einer Daum Ellen hoch, ohne Hülf &c. Add. Weicbb. Art. 20.*

*Habes effectus dominii liberorum in bona partis uiuentis, quod fluit ex patria potestate, neque expirabat, nisi per separationem, ceu unicum fere emancipationis in Saxonia modum. vid.*

*ZOBEL ad d. art. 52. l. i. Speculi Sax. Addo. Art. 17. L. 2.*

*Der Vater mag wohl den Sohn eines vertrreten und ausziehen, ob er um ungerecht beklaget wird, diweil er von ihm nicht gesondert ist, also daß er schwere auff den Heiligen*

*Habes alium patriae potestatis effectum, qui post emancipationem cessat, ergo patriae potestati proprie conuenit. Et quamquam me non fugiat, SCHILTERVM praesidium sententiae meae, quod ex cap. XXV. Speculi Sueici excire possem, ubi haec uerba:*

*Spricht ein Mann ein Kind an unter vierzeben Jahren, und ist es unschultig, der Vater soll für es schweren, überzeugt man es der Geradt, und hat ihm der Vater Gutb ausgeben, da soll man von püffen dem Kläger und dem Richter. Hat er ihm nicht Gutb ausgegeben, der Vater soll von sein selbst Gutb nicht püffen. Gewinnet der Sun darnach eigen Gut, er soll dem Kläger und dem Richter püffen.*

*ita extorquerere, ut pecuniam istam, ausgethan Gutb, non profetum, sed aduentum irregularis, uel etiam castrensis, aut quasi castrensis naturam habere contendat; Ex eo tamen, quod pecu-*

si militaris et aduentum mentionem facit, argumentor, si isse  
 aliquam patriam potestatem, hac enim deficiente, quid opus  
 est, peculiū mentionē facere? Et licet etiam concedam atque  
 fatear, patrem potuisse per donationem certam pecuniae sum-  
 mā, uel de bonis suis mobilibus quidpiam eo effectu ad li-  
 beros impuberēs transferre, ut hoc ipsorum quasi patrimo-  
 nium euaderet, non tamen video, qua ratione ab hoc diuerso  
 casu b) ad negationem iuris Romani quoad profectū rece-  
 pti argumentari quis possit. Esto, ignorarint Germani natu-  
 ram peculiū profectū, num exinde sequitur, ergo nec rece-  
 pto Romanorum iure Germania sicut alias, ita et maiorem pa-  
 triae potestatis rigorem, in primis peculiorum differentiam at-  
 que inde uenientem de peculio actionem admisit? quid quod  
 eo magis iuris Romani receptionem asserere queam, quia in  
 iure Patrio de eo nihil sanctū est, atque sic Romanum iūs  
 subsidiarium esse possit. c) Pugnam itaque Romani cum Saxo-  
 nico uel Alemannico iure hac in parte non ostendes, cum fa-  
 tearis, filere de hac re leges Patrias. Quod si dixeris, contra-  
 riū etiam Patriis in legib⁹ statui, cum d) liberi quicquid  
 a parentibus accipiunt, id ipsis pleno iure acquiratur, primum  
 negabo theſin, absque restrictione positam, et certis limitibus  
 circumscribam, quia istud de rebus mobilibus tantum uerum  
 est, in immobilibus uero secus existimare debet, utpote quo-  
 rum donatio liberis a patre extrajudicialiter facta nunquam  
 valuit, *Weicbild*. Art. 20. deinceps autem urgebo, ex premisso:  
 Donatio inter patrem et filium apud Germanos ualeat, non  
 effici consequentiam: Ergo praesumenda est donatio inter pa-  
 trem et filium, quoties pater filio exercendi ingenii ergo ali-  
 quid a rationib⁹ suis separatim concessit, atque administran-  
 dum tradidit. Differt itaque a bonis omnino separatis, quae  
 Germani *Ausgegeben Gute* vocitarunt, istud de quo quaeri-  
 mus, peculium profectū, quia in illo pater proprietatem  
 sibi non reseruauit, in hoc autem et proprietatem et possessio-  
 nem retinet. Quid quod ipsae donationes illae, quas obser-  
 uantia Germanici fori sustinet, dum ad mobilia restringuntur,  
 ceu

ceu exceptio quaedam, regulam firmant. Permotum hac re SCHILTERVM esse puto, ut, cum in Exercit. XXVII. §. 85. 86. 87. peculium profectum Germanis incongitum, et quicquid Patres liberis a suis separatum rationibus concederint, aduentitii generis fuisse, nec ex eo prae sumptionem, quod peculiottenus obligari uoluerint, oriri potuisse contendisset, tamen §. 89. fateatur.

OMNEM HANC DOCTRINAM TVNC DEMVM VERAM ESSE, SI PATER TANTVM LIBERIS A SVIS RATIONIBVS SEPARAT, QVANTVM AD IPSORVM SVSTENTATIONEM SVFFECERIT, QVOD SI SECVS, NON PRAESVMI PATREM LIBERIS MINORIBVS NECESSARIA ALIMENTA PRO FACVLTATIBVS DENEGASSE, AC PROPTEREA EOS EMANCI PASSE, SED POTIVS INDVSTRIAM EORVM EXERCERE VOLVISSE, SALVA ET PATRIA POTESTATE ET IVRE FILIORVM FAMILIAS.

Cui sententiae eo lubentius accedo, quia certum est, apud Germanos solennes emancipationis modos in usu non fuisse, sed liberos eo ipso e patris potestate exiisse, si uel pater ipsos, dando de quo uiuere possent, a sua oeconomia separarit, uel ipsi acquirentes de quo uiuerent, ab rationibus et familia patris se separarint. Notatu enim dignum est, patrem apud Saxones non potuisse pro lubito liberos emancipare, nisi dederit, quantum ad sustentationem sufficere posset, id quod pater ex SPECVLO SAX. L. 2. §. 19. uerbis:

*der Vater mag den Sohn wobl von ihm sondern, mit icbtwas seines Gurs vor Gerichte, das der Sohn aannebmen will, wie wenig essey ubi haud inepte Glossa:*

*Darumb sagt er bie, für Gerichte, und solches geschiehet darumb alda, das es keiner dem andern bernach verneinen möge*

*et ad uerba sequentia*

*Das der Sohn annehmen will &c. Bey diesem kanft du mercken, das dies alles denn erst Statt habe, ob auch der Sohn selbst wolte also abgesondert seyn &c.*

Tandem nec ab infrequentia casuum ad negationem iuris recepti argumentationem valere puto. uid. COCCEIVS in *Iur. Controv.* tit. de bis qui sui uel Aleni Iuris &c. qu. 20. p. 67. et tit. de pecul. qu. 15. p. 744.

## XI.

**Q**uod si etiam de Usu reliqui fori Germanici res dubia uideri posset in Saxonia certe Electorali *Constitutio X. Part. II. et Decis. El. Nou. 23.* satis docet, iuris civilis de patria potestate dispositionem apud nos valere, cuius effectus CARPZOVIVS ad d. *Conſt.* per omnia fere capita demonstrauit, et nos in foro quotidie experimur. Obicitur passim, parentes in Saxonia, secus ac de iure Romano licuit, cum libris contraſtam emtionis uenditionis iniri posse, ita ut liberi eo ipso, quia pater aliquid eis uendit, tacite et particulariter emancipati esse putentur: sed respondeo, nec hanc sententiam a Lipsiensibus *Ctis* admitti, et a Summo Prouocationum Senatu tantum ferri, quia Pater uenditionem iudicialiter confirmari curans, expresse in emancipationem filii particularem consentire uidetur, cum nolit actum subsistere, nisi impedimenta remoueat, i. e. filium pro emancipato agnoscat. Persito itaque in hac sententia, quod quoties hodie filius uel ex re patris uel intuitu patris aliquid accipit, toties praesumtio pro profectitia qualitate militet, et pater peculiorenus, uti de iure Romano, teneatur, propterea quod nec donatio regulariter praesumitur, *l. 25. ff. de probat.*

## XII.

**A**d alterum, quod ex PRAESVMTO PATRIS CONSENSV deuenit, obligationis genus accedo, cuius praesumptionis fons est aequitas, ne quis ex re aliena cum damno illius, cuius res fuit, locupletior fiat. ACTO NEM DE IN REM VERSO nominamus. Datur illi qui cum filio familias contraxit, aduersus Patrem, in cuius rem aliquid ex eiusmodi contractu uersum est, ad id, quod ex contractu debetur, in quantum uersum, praetandum. Negat BACHOVIVS de *Action.* Disp. VII. tb. 7. in fin. et VINNIUS ad f. 4. l. de *Act.* quod haec actio ex TACITO CONSEN-

SV

SV oriatur, id quod amplector, cum tacitus consensus de  
 scientia et tacente praedicetur §. 1. I. de Obl. quae quasi ex Contr.  
 l. 2. ff. de neg. gest. PRAESVMTVS uero CONSENSVS de  
 IGNORANTE etiam asseratur, ideoque haec actio ex eo  
 deitur, si quid SINE VOLUNTATE PATRIS IN EIVS  
 REM VERSVM est. § 4. I. quod cum eo. Et cum ex tacito  
 consensu ueri contractus oriantur, l. 4. ff. pro soc. l. 6. et 8. ff.  
 de Mand. l. 13. ff. de locat. l. 3. ff. de rebus creditis, ex praesumto  
 consensu non nisi QVASI CONTRACTVS efficiantur.  
 Ficta hanc et praesumta conuentio in causa est, cur actio ista  
 Adiectitiae qualitatis nominetur, quia scilicet uestimentum est  
 actionis ex contractu cum filio inito deuenientis, cuius ope  
 actio ista aduersa patrem ualeat, qui alias exceptione deficien-  
 tis obligationis se tueretur. Vnam ait IVSTINIANVS §. 4. ee  
 s. I. quod cum eo qui in al. pot. tam peculii quam in rem uer-  
 sionem esse, verum illam unitatem non in itenditate forma-  
 lium ponit. l. 5. §. 2. ff. de in Rem Verso, sed potius in compati-  
 bilitate, cum utraque Actio in uno libello ita institui possit ut  
 duae sequantur condemnationes, ceu duplex duarum effectus  
 caussarum, hoc quidem fine, si non tantum in rem uersum  
 sit, quantum a filio mutuo acceptum est, reliquum ope actio-  
 nis de peculio creditor consequatur. Multo magis de in rem  
 Verso agere conuenit, ubi uel peculium bona fide a Patre  
 ademtum, uel elapsi annali spatio actio de peculio praescripta  
 uel morte filii extinta est. l. 1. ff. de in Rem V. uel quando ex  
 peculio non solidum recuperari potest l. 1. ff. d. t. Alia, quae  
 huic proxime accedit, actio est, NEGOTIORVM GESTO-  
 RVM. Conuenit negotiorum gestio cum uniuersione in remin-  
 eo, quod utraque praesumto consensu nititur illius, cuius utili-  
 tati cedit negotium uel res, sed differt utraque a) qua sub-  
 iectum Actuum & passuum, quum uerat in rem, qui cum  
 filio contrahit, negotium gerat, qui utilitatem alterius imme-  
 diate quaerit; Actor in praesenti hac actione non semper in-  
 tentionem habeat quaerendi utilitatem patris, cedat tamen  
 in ipsius commodum, si filius, quod accepit, in rem patris

uerterit, licet auctor et creditor id neque voluerit, neque iherit: In negotiorum gestione sciens gestor rem, quam curat, esse alienam, statim a principio contractus animum habeat, eum sibi ad indemnitatē obligandi, cuius negotia gerit. Alia differentia est b) in effectu uiriusque negotii, cum in negotiorum gestione Gestor ad rationes reddendas & damna data resarcienda directa actione obligatus sit §. 1. I. de Obl. quae quasi ex contractu uen. l. 19. f. 1. ff. de neg. gest. praestet etiam culpam levissimam, atque contraria demum actione indemnitatē suam consequatur, in versione in rem autem nulla inter creditorem et patrem mutua obligatio intercedat, sed ista πονώτασεν sit. c) Actionis utriusque finis diuersus haud est, cum per ueram que solidum a reo exigatur, nisi in eo differentiam quaeras, quod Actio de in rem uerso non semper Auctori ad omne quod credidit prodesse queat, sed tantum ad id, quod uere uersum est a filio; Per negotiorum gestorum actionem autem solidum simpliciter repetatur. STRYCK. in Vsu Modern. f. 4. tit. de in R. V. et phares alii. Quae tandem praetoria aequitas actionem de peculio UTILITY ad alios personas, qui non cum filio, sed cum aliis, qui sunt E FAMILIA patris familias, extendit, et hanc etiam de in rem uerso actionem tam late patere uoluit, ut si quid ex hominis, qui sui iuris est, contractu, ad alium peruenit, ille de in rem uerso pariter teneatur. l. 7. §. 1.C. quod cum eo Et.

## XIII.

**V**ERSIO in rem probari debet hac in actione, id quod eius proprium quasi est, cum alias creditor versionem non prober, nisi quando cum Ecclesia, minore, ciuitate contractit. UTILITY itaque expendenda est, cuius naturam explicat. VLPIANVS l. 3. ff. de in rem uerso: IN REM VERSVM VI- DETVR, SIVE ID IPSVM, QVOD SERVVS ACCEPIT, IN REM DOMINI CONVERTIT, SIVE PECULIARI- TER MVTATVS, IN REM DOMINI CONVERTIT, VEL QVOTIES ALIQVID CONSUMSIT SERVVS, VT AVT MELIOREM REM DOMINVS HABERET AVT

AVT. NON DETERIOREM. Ex hoc intelligimus Vilitatem non tantum a) in NECASSARIIS, sed etiam in iis ponit, quibus b) MELIOR res redditur patris l. 3. §. 2. ff. b. t. vel c) CONSERVATVR, ut in verbis excitatis: NON DETERIORREM, expresse dicitur, et quod d) HONESTATIS DECORISQUE causa impediuntur, dummodo impensae consuetae sunt l. 3. §. 3. l. 7. §. 3. ff. b. t. Quae patris consuetudo eam uim habet, ut si oblitus sit e) VOLVPTVARIAM etiam in rem facere suentus, filius, quod tali ratione in uoluptatem patris impedit, eius in rem ueruisse dicatur. Ad consuetudinem itaque patris hac in materia semper respiciendum est, quoties, utrum modum excerserit filius, recte arbitrari volumus, in primis ubi de alienis liberorum et familiae sermo est, cum ibi semper dignitas et conuentudo patris creditorem commonefiant, ut ne quid ultra credat filio, neque si patris mores tales sunt, ut duriter ac parce uiuat, et se suosque alat, quicquid hunc patris modum excedit, id in eius rem uerti posse putet, per l. 3. §. 3. ff. de in R. V. ibique uerba: VSQVE AD EVM MODVM, QVEM DOMINVS EI PRAESTARE CONSVERAT. Inter ipsam etiam UTILITYTEM ac NECESSITATEM hoc discrimen intercedit, quod si res Patri necessaria fuerit comparata, totum conuentum pretium, si uero non necessaria, sed utilis tantum sit emata, uerum tantum modo pretium in rem uersum esse dicatur. l. 5. pr. ff. de in rem uerso, si conuentum pretium sit minus uero preio indistinctae conuentum pretium spectetur, BRVNDEM. ad. l. 5. ff. d. t. add. l. 12. ff. d. t. sibi (adiuuans b. 1. s. 1. 13. 14. 15.)

## XIV.

Vilitate, in quo consistat, explanata, restat ut naturam uersionis consideremus, ubi notamus a) Versionem non fieri ab ipso creditore sed filio, in quo differentiam huius et negotiorum gestorum actionis supra commonstrauit b) creditorem coriotione esse debere, utrum filius recte impendat, quod si a filio fecus factum ipsi aduersus patrem actio non datur, licet bona fide et ea intentione crediderit, ut in rem patris uer-



teretur, et filius bene etiam alias uertere solitus sit. l. 3. §. 6. et  
 9. ff. b. r. c) IMPENDI et VERTI DIC TUR SI UTILITER  
 A FILIO COEPTVM, CVM INITIVM NON EVENTVS  
 SPECTETVR l. 10. ff. de Negot. Gesl. l. 2. §. 7. 8. 10. ff. de in R. V.  
 nec Creditor Casum praestet l. 17. ff. b. r. sed res pereat suo do-  
 mino, dominus autem pro ea, quae mutui est natura, pater  
 est, in cuius rem uersio facta. d) Durare tamen uersum debe-  
 re in §. 6. l. 10. ff. de in R. V. statuitur, quae res mire torquet  
 interpretes, alii enim uerba sequentia

ET ITA DEMVM DE IN REM VERSO COMPETIT  
 ACTIO, SI NON SIT A DOMINO SERVO SOLV-  
 TVM VEL FILIO,

pro explicatione antecedentium accipiunt, et durationem non  
 externam, sed internam necessariam esse autumant, scil. ne fa-  
 eto Patris non duret, upote si Pater reddiderit quantum uer-  
 sum est, filius autem creditori non dederit, sed perdidierit.  
 uid. LAVTERE. ad ff. de in rem uersi. §. 3. SCHILT. Exerc. XXVIII.  
 §. 93. Alii posteriora uerba, tanquam inadaequata, repudiant,  
 et legem ita interpretantur, ut VERSVM SVA NATVRA  
 PERPETVVM ESSE DEBEAT, neue sumtus in rem suapte  
 natura illico peritoram impendantur, sed dutatio casu saltem,  
 qui euitari non potuit, intercidat. COCCFI. in Iur. Controv.  
 L. XV. Tit. 3. qu. 2. Quam ultimam sententiam amplector,  
 quia id, quod uertitur, non est obligatio ipsa, sed obligationis  
 causa, (unde quamvis obligatio uno modo extingvi queat, si  
 pater scilicet filio, quod uertit, reddit, hic modus tamen ne  
 solitarius quidem est, sed dantur plures,) indicta autem lege  
 de VERSI natura disquiritur, atque tunc Versum esse edicitur,  
 cum durer, quam ob rem DVRATIONEM ad NATVRAM  
 VERSI requiri uidemus. Rationem in eo quaero, quia iniuti-  
 lis est res quae durare nequit, ideoque dici non potest, in rem  
 Patris quid uersum esse, cuius effectus ad parrem ueniri non  
 POTEST. Alii quibus actio haec pereat, modi explicantur  
 in §. 9. 10. l. 10 ff. b. r. qui omnes fere ex facto filii uenient,  
 quod creditorem sequi par est, quia filii fidem semel ele-  
 git.

git. Addo tandem singulare illud, quod in l. 18. ff. b. r. cautum est, eum scil. qui pro seruo FIDEIVSSERIT, ut creditor rem uertendam daret, actione hac de in R. V. non experiri. Rationem GODOFREDVS quaerit in eo, quod haec actio tantum illi detur, qui principaliter contraxit; Verum haec res non nihil difficultatibus habet cum fideiussori competit actio MANDATI CONTRARIA; l. 6. §. 2. ff. Mand. uel NEGOTIORVM GESTORVM contraria l. 20. §. 1. ff. eod. l. 10. C. Mand. in omnibus autem cauiss, ubi istae actiones dantur, etiam haec de in R. V. locum habeat. l. 3. §. 3. de in rem Verso.

## XV.

Vsus Actionis non est ut a nobis vindicetur, cum de eius frequentia dubitari non possit. Sed tamen pretium facere puto, si illius REI memini, quae quotidie fere in foro uersatur. Alimenta liberorum nomino, ad quae pater maxime obstrictus est, uid RICHTER in Exposit. Aubenricae, Habita. Cod. ne fil. pto Parr. ita ut inuitus cogi possit ad alendos liberos l. 5. §. 10. de lib. agnoscend. et si non praestet alimenta, pro homicidia reputetur l. 4. ff. d. r. COLER. P. 2. Decis. 256. CARPZ. P. 2. Constat N. def. 18. n. 1. &c. cum et naturalis ratio suadeat, et ciuilis praecipiat, ut liberos tanquam portiones et partes corporis sui, donec sibiipsis prospicere queant, alant. Nou. 98. c. 2. l. 2. C. de inf. expos. addatur ex Iure Canonico Can. Si quis l. 4. D. 30. ubi anathemate mactatur pater, filios non alens. Hanc tamen patris obligationem leges temperant, si filius ipse habet, unde uiuere possit l. 8. C. de bonis quae lib. Ceterum inter alimenta pater hictum etc. etiam institutionem et sumptus ad studia referri, quoties de parentibus sermo est, dubitari non potest, quia ubicunque ex lege debentur alimenta, ibi non tantum *τό* necessarium, sed etiam *τό* honestum atque decorum complectuntur, idque iuxta dignitatem et consuetudinem patris l. 8. ff. 14 ff. de transact. l. 23 ff. 1. de Aur. ff. argent. legat. COLER. P. 1. dec. 68 n. 31. TABOR. P. 1. p. 930. STRVV. Exerc. 30. tb. 77. Non uacat, plura afferre, quae hoc quidem spe-

spectare possent, illud tantum quaero, utrum ex alimentis praestitis tertio Actio de in rem uerso nascatur. Dubitare licet, quia alimenta non vi patriae potestatis, nec tantum in patriae potestate uiuentibus liberis, sed emancipatis etiam, imo & illis, qui nunquam in patria potestate fuerunt, quales sunt ILLEGITIMI l. i. C. de nat. lib. Aut. ex complexu C. de incest. nupt. l. 5. §. 4. ff. de agn. lib. INCESTVOSI, c. 5. X. de eo qui dux. in matr. debentur, atque ad ea non pater solum, sed et mater et avius paternus, aliquae ascendentes ac colaterales ex iure naturae obstricti sunt. Pro affirmativa tamen facit §. 3. l. 3. ff. de in Rem Verso, ubi alimentorum expressa fit mentio, et, quicquid in ea impensum est, vere uersum esse dicitur. Qua de causa, pro diuersitate subiecti passiui uel haec de in rem uerso directa, uel uilis, ut de illa de negotio gesto, locum habebit.

## XVI.

**A** consensu Patris praesumto transimus ad TACITVM. Nulla enim ratio subest, cur hunc obligandi modum a patris persona repudiemus, cum fortiorum nexum efficiat, quam quidem, de quo haec tenus quae situm est, consensus praesumtus, si quidem VERVM CONTRACTVM sistit, ubi ex altero tantum QVASICONTRACTVS oritur. Rei exemplum habemus, si pater ab initio scit, filium contrahere, et tacet, qui consensus tacitus excludit uim SCti Macedoniani l. 2. 4. 5. C. de SCto Maced. l. 7. §. 11. et l. 12. ff. d. t. item si filius absens patri, se pecuniam mutuo accepisse, literis significat, simulque ut illam soluat, rogat pater autem non continuo contradicit. Ratum enim habuisse filii contractum Pater putatur, quia non continuo testationem contrariae voluntatis interpo-  
suit. l. 16. ff. de SCto Maced. Quam sententiam ita limitat Mr-  
vivs in Iure Lubec. P. III. T. 4. art. 4. p. 607. ut neget consenti-  
mum ex sola taciturnitate elici, ubi de scientis et tacentis  
magno praeiudicio agitur. Sed vix opus est hoc, uel etiam  
illo, quod BRVNNEANMV ad d. l. 16. ff. d. t. urget, tempe-  
ramento, cum dicta lex in filii familias persona subsistat et ter-  
mine-

minetur', cuius cum habetas et moderamen gerat pater, in id tacite consensisse putatur, cui non expresse, sicuti debebat, contradixit. Nam consentire dicitur is, qui, quando prohibere potest, non prohibet *I. 2. & 4. ff. de Noxal. Act. HARPRECHT ad pr. I. de nupt. SENECA in TROADE: qui non uerat peccare, cum possit, iubet. RANCHINI in voce Pater.*

XVII.

**E**XPRESSO tandem ex consensu patrem obligari, uix est, qui ambigere queat. Nec in hoc obligationis genere proprium quoddam pariae potestatis quaeramus oportet, cum suo quilibet consensu obligetur. Sed cum Romani tamē creditorem filii, qui iussu patris contraxit, peculiari actione dota-  
rint, necesse est, ut hoius etiam terminos videamus. Actio QVOD IVSSV datur illi, qui cum filio familias contraxit, iussu patris, ad id, quod ex contractu debetur, in solidum praestandum. *§. 1. quod cum eo.* Ad quasi contractus hunc IVSSVM accedere docet BERGERVS in *Dissert. Iur. XII. §. 5.* commo-  
tus uerbis Vlpiani, quod QVODAMMODO CVM EO CONTRAHATVR, QVI IVBET, quae ita interpretatur, ac si iussus in personam filii concipiatur. Sed uel in personam filii, uel in personam tertii contrahentis iussus ille concipiatur, consensus patris erit expressus; cum iussus in persona filii nihil aliud sit, quam mandatum, in persona extranei autem contra-  
ctus pariter expressus, ut itaque non videam, qua ratione ius-  
sus ille ad quasi contractus referri queat, cum PRAESUMI CONSENSVM VIX OPVS SIT ubi expressus adest. Nec obstar quod a) Actio haec ADIECTITIAE SIT QVALI-  
TATIS b) filius in persona propria principaliter obliga-  
tur, siquidem a) non omnis actio adiectitiae qualitatis ex praesumto consensu uenit, ut exemplo INTERROGATO-  
RIAEC ACTIONIS docemur *I. n. §. 9. ff.* quae si ex quasi con-  
tractu ueniret, necessum esset, ut omnem consensum ex post,

D

uel

uel ratihabitionem, ad quasi contractus reiiceremus. Quia de causa Adiectitia ista qualitas uim saltum in eo probat, quod cum pater in instrumento obligatorio plane non nominatus sit, atque se exceptione: NON NOMINATVS SVM IN DOCVMENTO, tueri possit et uelit, Actor REPLICAM libello inferere, et IVSSV patris actionem suam munire queat. Cessat tamen et ista adiectitia qualitas omnino, si iussus in personam extraneam confertur *l. i. §. 1. ff.* quod iussu, si scilicet pater contestatus sit QVOD VOLES CVM FILIO MEO NEGOTIVM GERERE PERICVLO meo, ubi dubitandum non est, quin actio directa et principalis absque omni uestimento uel adiectitia qualitate aduersus partem detur, et tamen sit actio quod iussu proprie talis. Licet etiam b) filius principaliter obligetur, non tamen unius obligatio tollit alteram, imo facile concedo, id ipsum peculiare quidpiam et actionis quod iussu proprium esse, quod vi patriae potestatis filius iussu patris contrahens et se et patrem, utrumque etiam principaliter, obliget.

## XVII.

**D**iffert Actio QVOD IVSSV a MANDATO et quidem a) in subiectis cum pater solus iubeat, mandet quilibet extraneus, Filio iubeatur, quem dicto patris obediere oportet, Mandatarius liberam habet uoluntatem, uelit, nolit, mandatum subire b) in modo contractus, cum filius se suamque personam obliget in omni contractu, quem patris iussu celebrat, quia suo nomine, non patris, contrahit. *l. 3. §. 4. ff. de Minor.* Mandatarius neutiquam, utpote qui alieno nomine contrahit, et indemnitatem etiam consequitur c) in effectu, cum aduersus filium ex iussu patris actio detur principalis, aduersus patrem etiam, et quidem aduersus utrumque in solidum, contra Mandatarium autem ille qui cum eo contraxit nullam habeat actionem, cum non hunc sibi, sed mandantem, obligare uole-

uoluerit. Differentiam iussus 2) ab HORTATV expōnis LAVTERB. ad ff. b. t. §. 4. ubi ostendit, hortatum fieri quidem cum obligatione sed addita protestatione: Se nolle teneri: v. c. tbue was du wilt etc. ich will dir nichts fürschreiben etc. 3) a COMMENDATIONE habemus differentiam in eo, quod commendatio regulariter non obliget commendantem, nisi cum enixa persuasione coniuncta sit, ita ut intellegi possit, quod commendans ad se periculum rei pertinere uoluerit, uel si dolus intercedat, quem praestare necessum est BRVNDEM. ad l. f. C. quod cum eo qui in al. por. ir. ad l. 17. ff. Mundati l. 7. §. ult. ff. de dol. mal. CARP. Dec. 126. n. 11. In quo et commendatio a consilio maxime differt, eum consilium ille petere soleat, qui ipse negotium gerere uult, commendationem uero sponte det commendans illi, quem, ali- quid ut agat, roget. Qua de causa tantum abest ut ex consilio quis obligetur, nisi dolus probari possit, ut ne lata quidem culpa a Consiliario praestanda sit, quae tamen in ci- vilibus dolo aequiparatur. Ratio est, qui lata culpa saltim in materia contractus dolo aequiparatur, extra hanc uero mi- nus. Consiliarius autem non contrahit, hinc etiam Curator Sexus, quanquam in contractum mulieris consentiat, non obligatur ex ulla culpa, nec mulieri aut tertio, cum quo mu- lier contraxit, tenetur BERG. Oecon. Iur. L. I. Tit. 4. §. 6. n. 7. Limitationes huius assertionis, quod scilicet consilium sit ob- ligatorium, si α) instruit in delictis β) cum enixa incita- tione et persuasione coniunctum sit, γ) a perito artis fiat vide apud HOPPIVM ad §. 6. I. de Contr. Confess. Tandem etiam differt iussus 4) a MINISTERIO NVDO, si scilicet filius tantum cauſa ministerialis est, cuius nota Characteristi- ca in eo ponitur, si filius non suo, sed patris nomine contra- hit l. 5. ff. quod iussu, quia in actione quod iussu requiritur, ut filius contractus cum creditore celebrati sit cauſa principa- lis proxima, pater, ut cauſa cauſe, remota.

## XVIII.

**D**isputatis his, facile opinor, patebit, quid si iussus, et hoc explanato termini constituantur habiles oportet, ut actio quod iussu locum habere queat. Scilicet non debet iussum Patris excessisse filius l. 13. ff. quod iussu, id quod huic cum Mandati actione commune est. Iussus Patris non expressus et antecedens semper requiritur, sed concomitans et subsequens etiam sufficit. l. 1. §. 6. ff. b. t. Sive verbis, sive literis, sive per nuntium etiam declaratus §. 1. l. 1. ff. d. t. qui ex eo etiam satis intelligitur, si pater filii chirographo subscripsit l. 1. §. 4. ff. b. l. 3. C. quod cum eo. Ex sola uero scientia patris non descendit haec actio quod iussu, quia a mandato praesumto ad Actionem quod iussu non valet consequentia, cum IVSSVS requirat CONSENSVM EXPRES- SVM LBUTERB. ad ff. tit. quod iussu §. 4. nec fideiussor non principaliter contrahit, sed accessorie intercedit et obligatur. l. 1. §. 5. ff. b. t. Placuit tandem Iustiniano directam etiam ex iussu actionem dare contra Patrem, §. fin. I. quod cum eo, qui in al. pot. idque summa quidem aequitate, cum adiectione ista qualitate opus omnino non sit, ubi ex proprio consensu et idecirco contractu uero quis obligatus est, uti in mandato generali uidemus, in quo Mandans etiam nescit, cum quibus Mandatarius ui liberae contracturus sit, et tamen directa, v. c. mutui actione a creditoribus conuenit. Nominauere hanc prior illa uerisque Praetoria audiat. Addamus VITLEM, cum quam Praetor ex contractu cum uxore, fratre, famulo, alia, quae sui iuris est, persona iussu Mariti, fratris, heri etc. initio aduersus iubentem concedit, de qua BRVNNEMAN<sup>us</sup> ad l. 1. ff. b. t. et alii commentantur.

XIX.

XIX.

**F**inis Actionis quod iussu est SOLIDVM. In quo dif-  
fert haec actio a praecedentibus de peculio et de in rem  
uerso, quatenus scilicet peculium non sufficit, aut non omne  
quod creditor dedit, in rem patris uersum est. Quo loco,  
quae supra monui, repeto, semper scilicet respiciendum es-  
se, quid et quantum pater iussit, ne patris iussus ad incognitata  
extendatur.

XX.

**M**ixti Generis est TRIBUTORIA ACTIO, cum par-  
tim ex consensu patris vel tacito, vel expresso, partim  
ex dolo detur. Ex consensu tacito, quia Pater sciuit, filium  
merce peculiari negotiari, et passus est nec contradixit, l. 1. §. 2. et  
3. ff. de trib. Ad. unde obligatus est ad satisfaciendum credi-  
toribus, et merces peculiares æqualiter distribuendas. l. 1.  
§. 1. ff. de trib. Ad. partim ex dolo, si quidem pater merces fi-  
lii in æqualiter distribuit, quod uti in fraudem creditorum fa-  
ctum, ita hoc patri est obligatorium, ut in aequalem diuisio-  
nem corrigere et merces æqualiter diuidere cogatur. l. 7. l. 12.  
ff. d. 2. Obiectum est merx peculiaris, cuius appellatio  
angustior est, quam peculii §. 1. l. 1. ff. b. 2. cum merx sit,  
cuius negotiatio filio permissa est in peculio filius saltim ad-  
ministrationem habeat. l. 1. §. 4. et 2. ff. d. 2. et cum in peculio  
pater iure prioritatis et praelationis utatur, in merce peculia-  
ri hoc ipsi non competit, sed praferuntur credidores filii hy-  
pothecarii §. 8. l. 5. b. 2. usum huius Actiones negant LAV-  
TERBACH. ad. ff. §. 7. b. 2. uendicat STRYCKIVS in Vsu Ma-  
derno

1739. 2

derno b. t. infrequentem esse, facile concedo, sed ab infrequentia ad negationem nunquam argumentor.

## XXI.

**M**itto exercitoriam institoriamque actiones, quia patriae portestatis propriae non sunt, sed aliis etiam conueniunt, rerumque mearum fategisse puto, si ostenderim partem ex facto quidem filii, sed ita obligatum, ut eius consensus uel praefumitus, uel uerus, isque uel tacitus uel expressus in omni obligationis genere intercedat. Usum partim unius, quam rei dignitas postulare uidetur, disputata, quaeque omissa sunt, festinationi atque occupationibus aliis aequis lector beneuole tribuat.



AGITTENBERG, Diss., 1733

ULB Halle  
002 408 449

3




Sb 20

in H. J. Sticht - Druck + f



**Farbkarte #13**



B.I.G.

D. B. V.

1733 10642  
16

**FREM  
CTO FILII  
GATVM  
AESIDE  
REDO KRAVSIO**

I. V. D.

ET NOVI PROFESSORE PVBLICO  
SCABINATVS ET FACVLTATIS  
RGENSIS, IVDICII ITEM PRO-  
NFERIORIS LVSATIAE  
SSESSORE

S SVM MIS IN VTROQVE  
HONORIBVS

CTOBR. CL II CC XXXIII.

**ORIO MAIORI**

OST MERIDIEM CONSVENTIS

EXPONET

V C T O R

**RICVS SCHROEERVS**

X. ADVO CATVS IMMATR.

EMBERGAE

SCHEFFLERIANIS

VSA 1748.

5)